clementer prospicit, dans ei doctores pios et sin-
ceros, in quorum numero te esse experientia i-
psa compertum habeo et tua scripta eruditissi-
ma loquuntur. Tibi etiam ex animo gratu-
lor de publico isto testimonio, quod coram
multis te studiosis tuae pietati, virtuti et doctri-
nae est perhibitum: et opto ut illud ad di-
vini nominis sanctificationem, Ecclesiae aedi-
ficationem et tuam salutem faciat. Generosus
D. Joh. Dionysius Zerotinus adhuc est in Ita-
lia: spero tamen brevi ipsum eam relicturum:
de quo certiorem te faciam, quam primum
vel ab ipso vel ex Moravia accepero literas.
Generosi fratres mei D. Ladislaus et Genissius
te salutant, tibique pariter gratulantur.
Salutem adscribo tuae coniugi, tuisque omni-
bus et collegae tuo Dno M. Kreij. Deus Domi-
nus benedicat. Vale feliciter Clariss. D. Doctor
amice antique, et me amare perge. Basileae.
25. Julij Anno 1593.

Qui te colit et amat
A. Polanus.

Guisii interfecti filius a Liguribus postulantibus le-
gatis Pontificis et Regis Hispaniarum Rex Ga-
liae electus esse scribitur: idem offendente ta-
men Parlamento Parisiensi et non appro-
bantibus multis civibus Lutetianis. Sed existimo
vos a legato Francofurtensi certiora habere.

248

Eidem Marco Beumlero S.

Agnosco tuam, Clarissime Domine Parce, singu-
larem et constantem erga me benevolentiam.
Pro qua tibi eas, quas possit animus meus con-
cipere, gratias ago, unicamque gratitudine re-
spondeo. Caeterum videris mihi, id quod illis, qui
impensius amant, saepenumero usu venire so-
let, maiora de me tibi polliceri, quam ego re
ipsa praestare possim. Hinc est, quod me in con-
sequendo D. Theologiae honore tibi socium ad-
iungi cupis ac suades. Cuius consilio lubens
parerem, si primum cum eruditione in me

esse intelligerem, quâ dignitate in tanti hono=
ris fieri possem. Atque quoties considero, ut sa=
pè considero, quàm tenuis sit genii ingeniique
mei supellex, toties à petendis honoribus
deterreor, ut malim humi repere, quàm cum
periculo ruinæ tolli in altum. Accedit lon=
gè statio mea, in qua nunc Deo deservio. Nam
ista ejusmodi est, ut Doctoris magnificen=
tiam non requirat, sed gregarii potiùs operæ
qualicunque contenta sit. De subsequente for=
tuna quæ scribis, video, et illa ab animo me
ornandi studiosissimo proficisci nihil dubito.
Si verò in nostrorum hominum mores
introspicio, dubii mihi nullum est, quin hæc
novi honoris petitio mihi fraudi et im=
pedimento sit futura. Alii quidem dicent,
Hui Teumlerus, qui hactenus nostri similis fu=
it, et de quo nihil eximii nobis polliceri
potuimusque, jam repentè è vestigio doctoralem
chlamydem induit! Alii ridendo ingemina=
bunt, hic cum aliâ viâ non possit, præsidio
gradus doctorii ad sublimia conscendere ten=
tat: deprimendus ergo hominis fastus,
ne emergat præcavendum. Alii deniqué, qui
omnium sunt æquissimi, me quidem isto ho=
nore prorsus indignum censebunt: sed tamen
nimis præproperè à me factum judicabunt,
cum, antequam occasionis ratio postula=
vit, ad honoris petierim.

Tui verò, clarissime Dne Parée, longè alia
est ratio: Nam eruditione tuâ et me lon=
gè superas, et apud exteros præclarum no=
men et gloriam tibi comparasti: qui omnes
uno ore tibi debito honore, qui tuæ erudi=
tioni debetur, gratulabuntur. Apud no=
stros eo es loco et authoritate, ut sine

invidia ac vituperio propositum persequi-
sis. Quin et geminum munerum tuum, quod lauda-
biliter sustines, ratio hoc ipsum, quod facturus
es, facere jubet. Ego interea et tuae eruditi-
oni et honori, quo merito tuo augeris, gratulor
deumque rogo, ut eum tibi laudi et voluptati,
ecclesiae saluti esse velit. Dabitur forte, si Deo ita
videatur, et si ita tam Ecclesiae quam mihi expe-
diat, occasio ejusdem dignitatis consequendae, et qui-
dem te non solum suasore, sed etiam pro fide et
promotore, id quod fuerit mihi gratissimum. Pro-
mitto igitur me posthac in literis fore diligenti-
orem, ac omni contentione elaboraturum, ut
eam, quam benevolentia tua quadam singulari
de me concepisti, opinionem si non superem,
tamen confirmem. Te autem, ut one scri-
bendi modum excedam, etiam atque rogo, ut in isto
mei ornandi studio pergas. Habebis me per-
petuo memorem et gratum. Vale. Scripsi Ein-
selthemii in turba rusticorum 19. Maji 1593.

Tui observantiss.

Marcus Beumlerus.

Clariss. D. Pareo A. Vultejus S. 249)

Nullum est, doctissime Dne Paree, literarum
genus, ad quod magis venam invitus atque hoc ipsum, in
quo jam tecum ago, hoc est, in commendandis
aliis. Saepius enim res secus cadunt, quam vel is
qui scribit, vel ad quem scribitur, existimasset.
et nescio quod macula illi etiam qui scribit, si fo-
cadant. Quam ob causam solitus sum esse in hoc ti-
midior: et tamen qui hasce meas tibi reddit
apud me ita institit, ut has ad te quasi extor-
queat. Verumtamen passus sum me inde pertrahi
tanto facilius, quanto majorem de ipso spem concepi,
quod se hac commendatione mea non sit rediturus
indignum. Vir est et bonus et literatus ex Wettera-
via, quae inter Francofurtum et Marburgum est
oriundus, quem fortuna premit, meliore profecto